

Ut Nulla stella sentit. Omne autem animal sentit. Nulla igitur stella est animal.

Atque hæ sunt species syllogismi desumptæ à formâ. His veteres addiderunt *divisionem*, cuius exemplum est: Omne corpus aut est vivens, aut non vivens. Planta est corpus. Ergò planta aut est vivens, aut non vivens. Sed non est non vivens. Ergò vivens. Sed divisio ista non est comparata ad probandum, sed ad explicandum, ideoque non est species argumentationis. Ratio est, quia istiusmodi divisio semper aliquid supponit, quod non minus dubium est ipsâ conclusione; ut in proposito exemplo est manifesta petitio ejus quod quæritur: quia non minus dubium est, an planta sit non vivens, quam an vivat: imò eadem prorsus est quæstio. Vel si ita placet, revocati potest ad figuram primam, vel aliam. Alii *enumerationem partium* consti-
tuunt peculiarem speciem syllogismi. Istam dicunt esse, cùm omnibus partibus remotis unicam, quæ residua est, ponimtis; & hoc quidem, si conclusio sit affirmans: at si conclusio sit negans, omnes partes removentur. Exem-
plum prioris est: Fundum quem habes, aut hæreditate pos-
sides, aut emisti, aut in vacuum venisti, aut dono acce-
pisti, aut fraude occupasti. Sed non possides hæreditate, nec emisti, nec in vacuum venisti, nec dono accepisti.
Ergò fraude occupasti. Exemplum posterioris est: Si est substantia, est vel Deus, vel angelus, vel anima, vel ho-
mo, vel animal irrationale, vel vegetabile, vel minerale,
vel meteorum, vel corpus cœleste. Sed nec est Deus, nec
angelus &c. Ergò nec est substantia. Verum hæc enumera-
ratio affinis est disjunctivo, ut prior, vel connexivo, ut
posterior: vel certè reducitur ad syllogismum perfectum; ut
exemplum primum sic reducitur: Quicunque habet fun-
dum, quem nec hæreditate possidet, nec emtione &c. illum
fraude occupavit. At tu habes hujusmodi fundum. Ergò.

*Cap. 15. Syllogismus affirmatus &
negatus.*

Fuerunt species formales syllogismi, sequuntur
materialis, quæ sumuntur ex illius materiâ.

Sumun-